

SVPER COMOEDIA VETERI ET SATYRA ET NOVA CUM PLAUTI
APOLOGIA

Aelius Lampridius Cervinus

I

Duplex comoediae est genus: novum et vetus. 1
Vetus est ex personis viginti quatuor:
Chorus mordax Apollini Nomio sacer,
Per compita cursitans, et vicatim vagus,
Per pagos et villas rebus solemniter 5
Divinis operatus et licentius iocis
Lascivientibus scatens promiscue
In omnes solitus invehiri. Et hirco satur
Et potus et exelex, liberis convitiis
Palam proscindens et domestico probro 10
Timendus pravis civibus nec abstinentis
Nomine eorum qui gesserant aut publica
Infamiae nota, coercendis malis
Quod multum moribus antiquorum profuit.
Mox hoc facere vetitum cum in cives bonos 15
Stilus inverti coepit passim ex libidine.
Hinc criminoso ludus apstinuit choro
Nec quemquam licuit nominatim laedere,

Verum ornatur scaena satyrico habitu	20
Insignita nemore, speluncis et montibus.	
Torua ferina facies visu truculentior	
Vastis cornibus et setis hispida asperis	
Echinorum instar in mari degentium	
Canus et hyrsutus et horrens Satyrus cernitur.	
Pappus Silenus Liberi patris comes	25
Inconditum carmen iaculatur invicem	
Salibus incompositis et risu ludicro	
Ioculares acciti tibicinis ad modos*,	
Sedandae gratia quem pestilentiae	
Iussere Romani facere hystrionicam,	30
Qui veri cultus et pietatis inscii	
Piari facinus et placari coelites	
Offensos ludis credidere scaenicis.	
Hinc aliud fabulae recrudescit genus	
Nec aliunde satyra nomen vendicat suum.	35
Sed dum immerentes denigrare creditur	
Occultis fraudibus sub aliena nota	
Formidolosa dentium rubigine	
Suspecta coepit omitti et communi metu	
Periculosis temperavit lusibus.	40
Sed acrioris ingenii novissimum	
Reperit satyram bilem Lu ^c illius uomens	
Atrumque virus amarulentis faucibus	
Nec contentus vivis parcere nec mortuis	
Albutum, Lupum, Metellum, Scae ullam	45
Probrosis criminibus proscidit et Ennium	
Et Pacuvium et Actium et Euripidem illustres viros	
Praestinxit liberius. Poetarum omnium	
Primus nonnullorum iudicio creditus,	
Quamvis oratio fluere luculentius	50
Dictus, verae haud nihil assecutus gloriae,	
Cui palmam tum uno libello Persius,	
Quo Flaccus magis eripit aut Aquinas nobilis	
Nulli secundus. His ducibus satyra viget	
Latina veteri defluens comoedia.	55
Sed postquam senior exolevit chorus	

Et scaena lusitans satyris agrestibus
Desudavit et † omerita † est. Livium ferunt
Andronicum fabulae commentum actus novae,
Quam locupletavit usu temporis otium 60
Per diverbia per cantica subducto choro,
Quo grata novitate placeat auditoribus
Vitae mortalium loquax imitatio
Et universae speculum consuetudinis
Et veritatis imago quam simillima 65
Digesta, distributa quinis actibus,
Varietate illici verborum et sensuum,
Concinna argumento, commoda sententiis,
Fastidiosis etiam spectatoribus
Salibus iucunda, tediosa nemini, 70
Iocos, lepores vendicavit et arculas
Excussit odoriferas deliciarum omnium
Et omnes dicendi veneres, cupidines
In scaenam attulit. Hinc stupidi auditores hiant
Soccos, cothurnos, ornatum hystrionicum, 75
Modos attoniti et vocum discrimina stupent
Et totus caveae concessus victoriis
Exhilaratus et olim triumphis Punicis
Nunc Caecilio, nunc Plauto Molitori optimo
Vicissim applaudit populus. Nec aliter ferunt 80
Sermone si Latino voluerit loqui,
Musas locuturas, ut conditus novo
Lepore loquitur Plautus mellitissime.
Ergo agite, sultis, sic vobis vortat bene
Oculos, aures, animumque, exporgite ne quis duat 85
Damnum obstrepens sibi; neque enim mihi nocet
Si quis graxit*, sed sibi statim multtam irrogat.
Nam si quis non libens audit, meminit nihil
Et imperitus ad domum revertitur,
Inexpolitus, rudis, horridus et barbarus. 90
Quod si nocere aliis summae est dementiae,
Omnes stultitia exuperat qui nocet sibi.

* Corr. ex admodos.

- Qui uero nullius damno sibi consultit,
 Ante alios sapit alieno quo magis lucro.
 Quod si praestatis mihi, quod peto, silentium
 Non hodie modo sed quamdiu Plautum lego, 95
 Credo, facturi estis operaे magna precia
 Et nos vobiscum qui docendo discimus.
 Si quidem Latinis insueti sermonibus
 Omnem tergemus penitus stribiliginem
 Illuricam et vera Romuli colonia 100
 Videbimur bisque propago Quiritium
 Romanis nec nisi digna progenitoribus
 Superstes ab Epidauria pene insula.
 Hic, hic domesticus olim Romae municeps
 Haereditarius urbis et vernaculus 105
 Peculiaris Rhacusae sermo fuit,
 Cuius reliquiis et quadam umbra et imagine
 Nos actitare causas vidimus senes.
 Interpoletur ergo sermo pristinus
 Qurinalis Diis optumis faventibus, 110
 Qui nuper exolevit intermortuus
 Dirae colluvione oppressus viciniae.
 Restituat Epidauro Plautus quod abstulit
 Immanis Scytha. Avitus reflorescat lepor.
 Est tristis haec vita, theatra, iocos postulat. 115
 Eliconium mel, Pegasium melos
 Acerba vitae temperat, rudia expolit,
 Venustat indolem, exacuit impuberis,
 Senibus suppeditat utiles sententias
 Ac velut e media depromptas sapientia 120
 Hic vorsipelleм discimus fallaciam,
 Mercurium Vertumnus Iovem † Protheuco † Deos,
 Horrere quo mage praestigatores malos
 Vitare, qui versutiis, technis, dolis
 Contaminatum honestas uxores eunt, 125
 Lenonias artes colluviem spurcidam,
 Vitiorum stabulum, turpes meretricum dolos,
 Illecebras illicibiles, virus oblitum
 Melle et parasytos mendaces et improbos 130

Scurras famelicosae obnoxios** gulae	135
Et helluones sordidos et milites	
Iactantiores, gloriosos, fuitiles,	
et duro stolidos elephanti corio obsitos,	
Hic omnes sicophantas, fallaces, subdolos	
Servos possumus, ut in speculo, intuerier	140
Senatum convocare in capite, machinas	
Atque omnes fabricas intendere, tragulas, dolos,	
Marsupia, quibus domnorum exenterent senum,	
Ut iuenibus obsecundent perdite amantibus.	145
Quo doctus exemplo servo haud temere dabis	
Corrumphi aetatem lubricam adolescentium,	
Sed optionem facies constantis viri,	
Qui primam exorbitare non sinat indolem	
Informetque rudem ut docto caeram pollice.	
Tenax, avarus, prodigus docebere,	150
Indulgens, durus, et quantum peccet pater	
Quique alienis ovis ut cuculus incubat	
Blandus, decrepitus, monstrum, scortator senex,	
Exitium exitibile, rursus frugi, probus.	
Lex viva vitae a Musis, norma, regula.	155
Hic omnium rerum vices et exitus	
Hylares secutos principium miserabile,	
Ludibria sortis et vitae vertiginem	
Admirabere, personae, temporis, loci	
decorum, unde fieri poteris prudentior.	
Lenonem avarum, obscaenam meretricem, improbum	160
Scurram et servum mendacem novisse expedit,	
Ne quis nos inter oscitantes opprimat.	
Sic ebriosos illotas, velut sues	
Coeno volutabres, Lacedaemonis indoles	
Spectatum admissa foeda, obscaena, turpia,	
Quo dedoceret turpium spectaculo.	
Hinc undecunque Plautus noster proderit	165
Moribus et linguae, qui fugiendi gratia,	

* Corr. ex obnoxias.

Non aemulandi multa probra interset.
Sed defensa sat est comoedia. Fcessite
Carptores maledici vipereis dentibus.
Vobis non dedico lusus, iocos, sales,
Ambrosiam, nectar de Plauti promptario 170
Sed auditoribus optimis et iuenibus,
Aequre facere, ac sapere probe cupidissimis.
Hoc quicquid est ergo boni, consulite boni.
Linguis favete, mox etiam plausum date.

Tekst redigirao: Milenko Lončar